



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

VII. Practicæ Resolutiones circa prædicta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

*Praxis circa materiam de Contractibus Gratuitis
Societatis IESV Auctoribus.*

§. I. 54. *Scio depositarium teneri adhibere diligentiam, ne depositum pereat: rogo, an dubitans, verum depositum sua culpa perierit, nec ne, teneatur ad restitutionem?* Non tenetur. Sanchez de Matr. lib. 2. d. 41. n. 18. affirmat; quia in dubio peccatum non praesumitur, praecipue cum depositum factum esset in gratiam deponentis.

55. *An depositarius possit re deposita vti, & eam sine expressa, vel praesumpta licentia domini alienare?* Censetur furti reus ex Institut. de oblig. qua ex delicto, &c. Attamen ex Laymano lib. 3. sect. 5. tractat. 4. cap. 25. numer. 1. licere assero depositario oleum, frumentum, vel aliud sibi consumptibile alienare, si certus esset, se tantundem eiusdem bonitatis redditurum domino repetenti. Prohibet Magistratus (v. gr.) ne frumentum ex horreo publico absque eius iussu extrahatur: potest custos extrahere, certus, se aequae bona frumenta constitutis temporibus in promptu habiturum.

56. *Debet Petrus Antonio centum aureos, accipit totidem in deposito: potest ne depositum loco debiti retinere?* Prohibitum id est, cap. bona fides, de deposit. Attamen cum Lessio lib. 2. c. 27. dub. 4. num. 16. censuerim tantum in externo foro legem obligare, quando depositarius alia via debitum sibi compensare non potest.

57. *Depositarius frumenti, vini, seu aliarum rerum sibi consumptibilium eas alienat, seu consumit, delinquit ne?* Non peccat saltem grauiter, modo certus sit, se tantundem eiusdem generis, ac bonitatis pretio habiturum, cum dominus repetierit; quia tunc talis alienatio in nullius damnum cedit.

58. *Perit deposita res penes depositarium: tenetur ne in conscientia eam reddere?* Non tenetur nisi ex culpa graui & lata non autem ex leuissima: & leui, nisi aliter sit inter contrahentes conuentum. Sic Filliucius, & Lessius.

59. *Potest ne Thesaurarius vel procurator Principis, dominus inscio, cum ipsius pecunijs in suum commodum negotiare?* Potest ex doctrina Lessij, modo nullum incommodum, aut periculum domino obuenerit.

60. Mittitur depositum per hominem fidelem habitum, ad dominum, portans sibi retinuit: cuiusnam perit? Perit domino; quia depositarius egit, quod dominus rei non poterat rationabiliter impugnare. Molina sic.

Molin.

61. Depositarius quomammodo obligatur ad rei deposita custodiam in periculo? Si deposita est apud te causa solius deponentis, in periculo postponenda sunt tuis omnibus: si vero causa utriusque, tuis aequalibus: si autem tua causa solum, tuis pretiosioribus. Profecto offerre aliena periculo pro tuis non potes: sed tamen servare tua neglectis alienis, eo modo quo dictum est, potes, si ea simul tuis servare non potes. Saa cum Saa. Syl. sic asseruit.

62. Deponentis omnia bona sunt fisco adiudicata: rogo num depositum dandum fisco, an deponenti: Dandum deponenti crediderim cum Saa quod ad forum attinet conscientiae, nisi id Saa. iudex prohibuisset.

63. Depositarius reddit familiari deponentis depositum, quod domini nomine petijt: num rursus teneatur, si familiaris retinuit sibi, restituere? Non, uti Saa idem asserit; quia non leuiter credidit domini nomine repeti. Addit autem non liberari depositarium, si rem pretiosam dedit leuiter credens signum aliquod afferenti.

Saa.

64. An donatio facta per metum ad id incussum valida sit? Non, nisi iuramento firmetur. Teneatur quidem, quia iurauit dare; sed alter tenetur restituere, quia dare per metum coegit. Sic ex Lopez Saa.

§. 2.

De donatione.

Saa.

65. Valet ne donatio coniugi facta? Valere respondet Molina, si fiat ob causam piam, vel honestam: aut si donans non sit sic pauperior: (non sit autem qui non acquirit cum possit aut accipiens non sit ditior: aut si remuneratoria: aut fiat in tempus soluti matrimonij: aut causa mortis: aut condonando promissam dotem: aut sit confirmata iuramento de nonreuocando: aut post rem datam donans moriatur: aut in Religione nihil possidente profiteatur. An donatio inter sponso futuro valeat? Valet, asserente Molina, nisi fiat in tempus futuri matrimonij: tunc enim potest reuocari. Quid de donatis uxori à consanguineis viri? Putat Saa uxoris esse in foro conscientiae. Facta donatio propter nuptias, scilicet facta ab sponso, dum contrahitur, aut quasi contrahitur matrimonium, cuiusnam est matrimonio soluto? Ad virum redit, auctore Molina, cuius etiam sunt fructus matrimonio durante.

Molin.

Molin.

Saa.

Molin.

66. Quisnam in casibus pater potest donare filio? Respondet idem Molina donare posse propter nuptias, & eunti ad bellum.

&

& mancipato, & remunerando, & ad alimenta, & ad honorem acquirendum, & studij causa, & vsum fructum bonorum filij ipsius, & aliis in casibus. Addit *Doctor* patris donationem conualescere emancipatione, & patris morte; vnde fructus percepti à tempore donationis filij sunt.

Saa.

67. *Potest ne donatio ante acceptationem reuocari?* Potest (authore Saa) etiam si facta fuerit cum scriptura & testibus. Addo posse Notarium pro absente acceptare, & quemque idem posse in donatione pro causa pia. Oportet verò vt donans indicet absenti, & non sufficit, vt alius faciat sine eius mandato. *Quid si ille praesens tacet?* Censetur proculdubio acceptare.

Saa.

68. *Donatio quae non fit causa mortis, potest ne reuocari?* Si non fiat causa mortis, censetur facta inter viuos, nec potest reuocari nisi ob donatarij ingratitude, vt Saa et Couarr. asseruit.

Saa.

69. *Potest ne Rex donationem suam, aut praecessoris reuocare?* Potest, si Regnum insigniter, seu enormiter laesum. Sic Saa.

Molin.

70. *Facta est donatio cum damno creditorum, & intra annum creditores non petunt illius donationis rescissionem: regnum donatarius ad restitutionem teneatur?* Respondeo ex Molina non teneri, nisi sciens & prudens impulisset donatorem ad donationem in fraudem creditorum faciendam.

§. 3.

71. *Testatorius ad pias causas Petrus, potest ne alteri testamentum committere hac voluntatis expressione: Committo omnia bona mea arbitrio, & dispositione Antonij?* Potest ex Laymano lib. 3. c. 4. tract. 5. c. 2. n. 6. & 7. Quo in casu Antonius omnia testatoris bona in pias causas debet expendere, modo que nomine haeredem existere.

Fagund.

72. *Quodnam dicitur ad pias causas Testamentum?* Quando haeres est causa pia: non verò si esset alius haeres, & essent plura legata pia. Fagund. de iust. lib. 6. c. 3. n. 18. Expressas precor causarum piarum Catalogum. 1. Paulus relinquit Agnetem filiam haeredem cum opere soluendi Mariae sanctimoniali forori, aut propinqua suae centum aureos. 2. Quod meretricibus penitentibus relinquitur ad victum. 3. Legata ad Monumenti constructionem. 4. Relicta ad publicam vtilitatem, v.g. ad pontium aedificationem, &c. 5. Manumissio mancipij. 6. Ecclesia, vel Monasterium, imò quilibet Religiosus, si illi pietatis intuitu, non consanguinitatis aut amicitiae, relinquatur. 7. Hospitalia. 8. Confraternitates. 9. Pauperes etiam consanguinei, vel amici, praecipue causa pietatis.

etatis expressa. 10. Viduæ, pupilli, & similes. 11. Quod pro anima relinquitur. 12. Captiuorum redemptio. 13. Alimenta relicta iis, qui non habent unde uiuant secundum personæ qualitatem. 14. Dos, & quod pro colligandis matrimonio virginibus relinquitur. 15. Relicta ad studium Theologiæ.

73. *Necessaria ne testamento ad pias causas hæredis instructio?* Non, quia hæc non est necessaria ex iure Canonico, sed civili. *Cardin. Lugo de Iust. tom. 2. d. 22. sect. 9.*

Lugo.

74. *Valet ne testamentum quoad pias causas, etiam quoad profana legata, deficientibus iuris solemnitatibus?* Negat *Lugo tom. 2. disq. 12. sect. 9.* At alij probabiliter affirmant; quia æquum non est, ut idem testamentum, quod pia causa iudicat, & vult haberi verum in vno, nolit esse firmum in alio.

Lugo.

75. *An testamentum, aut codicillum inceptum, & ob mortem non finitum sit validum, quoad legata pia?* Validum est licet secundum alia legata irritum esset. *Molina d. 134.*

Molina.

76. *Quinam possint ad pias causas testari?* Omnes, qui iure communi possunt testari, & plures alij, v. gr. prodigus, & usurarius publicus, si præstitit prius cautionem, vel si non potest præstare, cum contritionis signis moriatur. Licet hoc impertinens putet *Lugo citat. contra Molinam* asserentem scio, testamentum à seruo factum, licet iam libertate tunc fuerit donatus, si tamen ipse suam libertatem ignoret, nullum esse. Attamen si sit ad pias causas, validum erit.

Lugo.

77. *Validum ne captiuorum Christianorum apud Turcas testamentum ad quacumque velint, etiam in loco captiuitatis?* Affirmat *Amicus.*

Amic.

78. *Validum ne testamentum ad pias causas à surdo & muto factum quocumque nutu, & signo?* Validum erit (inquit *Card. de Lugo.*) quia iure naturali vim habet, & quando est ad pias causas, à iure civili non potest inuolidari.

Lugo.

79. *Scio militibus circa testamentorum conditionem ius suffragari: rogo, an privilegiis iure militari testandi, gaudeant non solum ipsi milites, verum etiam omnes in castris existentes?* Ita quidem, dummodo in loco hostili adsint, *Lugo de Iust. tom. 2. d. 24. sect. 1. n. 12.*

Lugo.

80. *Scio Religiosos non posse executores testamentorum nominari: rogo tamen, an testator possit nominationem executorum alicui Religioso committere?* Potest etiam ex minoribus, qui quidem postea cum superioris licentia poterit eos nominare. *Sanchez sum. tom. 2. lib. 6. c. 11. n. 41.*

Sanch.

81. Potest

81. *Potest ne quis cogi acceptare officium executoris à testatore relictum?* Non, etiam si sit testatoris consanguineus; peccabit non acceptando, aut renunciando. *Sanch. opus. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 42. n. 4.*
- Sanch.** peccabit non acceptando, aut renunciando. *Sanch. opus. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 42. n. 4.*
82. *Scio beneficiarium non posse de fructibus beneficii ad prophanos usus disponere: Rogo, an si Episcopi, & Clerici beneficii habeant à summo Pontifice facultatem disponendi de bonis Ecclesiasticis, in quoscunque usus voluerint, possint ad usus prophanos applicare?* Porro *Molina tom. 1. d. 147. num. 33.* facultatem testandi asserit intelligendam pro piis usibus, quando nulla ratio apparet cōcedendi huiusmodi licentiam ad usus prophanos, aut aliunde res est dubia; quia alioqui Pontifex potest concedere beneficiariis etiam Episcopi facultatem testandi ad usus prophanos, ex iusta causa remunerationis pro munere. (v. gr.) optime administrato, obsequiis Ecclesie impensis, &c.
- Molin.** prophanos applicare? Porro *Molina tom. 1. d. 147. num. 33.* facultatem testandi asserit intelligendam pro piis usibus, quando nulla ratio apparet cōcedendi huiusmodi licentiam ad usus prophanos, aut aliunde res est dubia; quia alioqui Pontifex potest concedere beneficiariis etiam Episcopi facultatem testandi ad usus prophanos, ex iusta causa remunerationis pro munere. (v. gr.) optime administrato, obsequiis Ecclesie impensis, &c.
83. *Prohibetur ne testari ad mortem damnatus?* Ita quidem *l. de perdati, in metallum, & alibi.* Quia tamen ius Codicis non servatur ubique, attendi debet locorum consuetudo. Certè quando bona damnati non publicantur, ferè ubique testari permittitur, & testamentum prius conditum firmum manet; & si non testatur, ab intestato habet successores. *Layman lib. 3. sect. 5. cap. 3. n. 3.*
- Laym.** manet; & si non testatur, ab intestato habet successores. *Layman lib. 3. sect. 5. cap. 3. n. 3.*
84. *Scio spurios filios nihil posse relinqui, præter alimenta, quæ de iure naturæ sunt: rogo an statui debeant esse huiusmodi alimenta?* Asserit *Sanch. opus. tom. 2. lib. 4. n. 3. dub. 34. num. 2. & 3.* Ex cuius doctrina alimenta assignanda non solum filiis sed & personis, quas ipse alere debet.
- Sanch.** Asserit *Sanch. opus. tom. 2. lib. 4. n. 3. dub. 34. num. 2. & 3.* Ex cuius doctrina alimenta assignanda non solum filiis sed & personis, quas ipse alere debet.
85. *An mater illustris possit heredem instituire filium spurium, si legitimos non habeat?* Asserit *Lessius lib. 2. cap. 39. dub. 6.*
- Lessius.** Asserit *Lessius lib. 2. cap. 39. dub. 6.*
86. *Pater heredem instituit extraneum, rogans, ut hereditatem relinquat spurio: hæres ille hereditatem acceptans cum promissione implendi petitionem, delinquit ne?* Mortaliter planè; quia talis promissio in lege & prohibetur graviter, & punitur. *Tenetur ne spurio restituere?* Non; quia promissio fuit nulla. *Beccanus p. 3. tom. 3. c. 7. q. 6. n. 2.*
- Beccan.** nulla. *Beccanus p. 3. tom. 3. c. 7. q. 6. n. 2.*
87. *Potest ne testator revocare testamentum iuramento firmatum?* Si non adest iusta causa, non potest: secus si adest; quia aut censetur sibi huiusmodi potestatem reservasse in hoc casu, aut iuramentum fuit iniquum, & proinde non obligat.
- Beccan.** *Beccanus citat. q. 8.*
88. *Licetum ne legatum annuum Fratribus Minoribus relictum?*

licitem pro fabrica Templi, Sacelli, & pro vestimentis, ornamentisque Ecclesie, & Sacrificiis. Addit Sanchez. *sum. tom. 2. lib. 7. c. 26. n. 46.* & pro studio, seu pro libris emendis, & pro infirmaria. *Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 5. cap. 10. num. 4.* licitum docet esse legatum temporarium, si spatium decem annorum non attingat; quia tempus infra decennium est modicum. Secus autem legatum ad vitam fratris iuuenis, & bonæ valetudinis; quia vita hominis communiter maior afolet aestimari, quam decennium. At Sanchez *summ. tom. 2. lib. 7. cap. 26. num. 40.* licitum esse putat.

89. Legatum orphanis relictum est: potest ne eo frui puella, quæ matrem habet? Quamuis orphanus dicatur, qui utroque parente orbatus est, tamen legatum pro colligandis matrimonio orphanis acquiritur à puella matrem habente, si patris præsidio destruitur; quia mulieres non habent prudentiam pro gubernatione filiorum. Sanchez *ita opusc. tom. 2. lib. 4. c. 2. dub. 63. n. 4.* Sanchez.

90. Potest ne reputari orphana puella habens parentes pauperes? Negat Sanchez *lib. 13. num. 2.* quia in dispositionibus testamentorum verba propriè sumenda sunt. Profectò contrariam opinionem probabilem existimo; quia difficilius nuptiis traditur puella pauperes habens parentes, & viles, quam eisdem orbata. Sanchez.

91. Legatum naturalibus alicuius ciuitatis relinquitur: potest ne dari ijs, quæ quamuis naturales non sint, ea in ciuitate decennio habitauerunt? Potest, dummodo de animo mutandi domicilium non constet. Sanchez *opusc. tom. 2. lib. 4. cap. 2. dub. 19. num. 1.* Sanchez.

92. Legatum pro liberandis incarceratis, potest ne applicari cuiquam, ne in carcerem detrudatur? Afferit Sanchez *citat. n. 2.* quia propriè ille à carcere liberatur. Sanchez.

93. An hæres ab intestato teneatur in conscientia soluere legata in testamento minus solemniter? Tenetur; quia lex exigens solemnitates in testamento condita fuit ad fraudes, quæ si non adsunt, non est, cur testamentum in foro conscientie non teneat. *Comitolus lib. 7. quest. 8.*

94. Hæres ab intestato est dubius, an testator heredem alium nominasset; tenetur ne ad aliquid? Ex Becano *part. 2. tom. 3. cap. 7. quest. 3. concl. 1.* tenetur cum illo pro qualitate dubij componere; quia par est in dubio vtriusque conditio. Becano.

95. Legatum relinquitur quolibet anno pauperibus distribuendum hæredum arbitrio: potest ne simul, & semel attribui Monasterio, aut Hospitali, ut illo in perpetuum fruatur? Potest auctore

Sanct. auctore *Sanctio opusc. tom. 2. lib. 4. dub. 12. num. 4.* qui testatoris voluntas impletur, pauperibus datum. Quod autem semel & simul detur, substantiam legati non attingit.

96. *Annus, qui testamentarijs à iure pro soluendis legatis conceditur, elapsus est inutiliter: cuiusnam competit iudicium?* Episcopus est iudex ultimarum voluntatum, executor etiam quo ad prophana; quia impletio voluntatis defuncti in ipso bonum, est commissa Episcopis ex officio, qualemcumque bonorum dispositionem fecerit. *Molina tom. 1. tract. d. 205. num. 5.*

Molin. 97. *An Episcopus possit aliquod legatum in aliud aequale vel melius commutare? Afferit Vasquez, opusc. de test. cap. 6. §. 5. dub. 3. num. 104.* posse consensu hæredum, quo in caluminiæ voluntatē testatoris violat, sed interpretatur.

Vasq. 98. *Relinquitur Antonio legatum sub conditione hac, si nupserit, vel si Religionem non ingrediatur: potest ne legatarius in foro interiori, & exteriori legatum accipere, etiam si hoc non impleat conditiones? Potest ex Sanchez sententia.* Cum enim hæ conditiones merito à iure reprobentur, & pro non appositis habeantur: non tenetur Antonius eas in conscientia seruare; quippe voluntas testatoris secundum ius est accipienda, & ubi ab eo deficit, non seruanda.

Sanch. 99. *Sunt ne legata in rigore literæ interpretanda? Locus ex Sanchez auctoritate, ampliacioni datur.* Vnde legatum pro fabrica templi potest expendi pro ornamentis, & aliis cultui diuino necessariis. Legatum distribuendum quotannis, potest simul totum dari. v. gr. alicui hospitali, vel Monasterio. Legatum dandum naturalibus alicuius loci, potest dari iis, qui ibi decennio habitauerunt, licet aliunde sint oriundi, nisi de animo inibi non manendi perpetuo, constet.

Sanch. 100. *Expone quandònam testamentum sine iuris appositione solemnitate validum sit? Respondeo ex Molina, Saa & alijs, in testamento parentum etiam cæcorum inter liberos & horum descendentes etiam per fœminam sufficere suam voluntatem declarare coram duobus testibus, etiam non rogatis, etiam fœminis; in testamento autem apertè scripto quinque testes, vel tres cum Notario sufficere; matris testamentum inter filios naturales & spurios minùs solemne valere; patris testamentum inter liberos ab eo solo scriptum, aut subscriptum validum esse etiam quoad pia legata; cum difficile est in testamento clauso habere septem testes, sufficere quinque, item si fiat ab eo qui communiter ruri habitat; sufficere testatori coram Principe & duobus testibus; sufficere duos testes, si*

Molin. *indigenis*

Saa.

coram eis hæres promisit testatori, se eius voluntatem ser-
uaturum; testamentum coram Prælato, & duobus testibus
validum esse saltem in terris Ecclesiæ subiectis, & rebus fori
Ecclesiastici, & ad pias causas; testamentum minùs solemne
valere vt codicillum, si habet requisita ad codicillum, & te-
stator dixit se velle, vt valeret meliori modo quo posset
quod omnes etsi non dicant; communiter tamen volunt: ad
codicillum autem quinque testes sufficere etiam non roga-
tos, etiam fœminas; quod si fiat inter liberos, aut milites in
bello sufficere duos; in codicillo autem cæci sicut in testa-
mento septem testes cum Tabellione, vel altero eius lo-
co requiri; codicillum denique etiam factum ante testamen-
tum valere.

101. Quis non possunt esse testes in testamento? Nec
seruus, nec hæres, nec is, in cuius hæres est potestate, vt pater,
auus. Nec incapax testamenti testatoris, vt spurius; nec hære-
ticus, nec intestabilis iure; nec fœmina nisi in quibusdam ca-
sibus, vt tempore pestis. Ex Saa & aliis.

Saa.

102. Iuravit quis non reuocaturum testamentum, quod ni-
hilominus reuocauit: rogo num valeat reuocatio, & an periurij
crimine sit reus? Valere reuocationem certum est: esse periurij
etiam assero communiter, nisi testamentum esset ini-
quum. Scio Saa ex Salone docere etiam testamentum iustum,
sed tamen imperfectum, dum iusta causa reuocandi interce-
dit, sine periurio posse reuocari.

Saa.

103. Potest ne commodatum ad certum usum repeti? Non
posse ait Molina, etiam superueniente necessitate, si commo-
datarius aliunde fuisset habiturus, nisi tu commodasses.

§. 4.

De com-
modato.

104. Commodum rem vitiosam: teneor ne de damno secuto? aut Pre-
tuleris si scieris commodasti, & commodatarius non ad-
monuisti. Sic Molina.

Pre-
torio.

Molin.

105. An commodatarius teneatur de culpa leui, an solum de
gravi? Quidam aiunt non teneri in conscientia nisi de culpa
mortalis. Ego existimo teneri in totum de graui culpa, in
partem de leui.

Molin.

106. An licitum commodatum ad alium usum, aut diutius
quam voluit commodans? Furtum esse Molina asserit, id

§. 5.

De mu-
tuo.

107. Circa mutuum denique, qui dat mutuum potest ne pacisci
cum mutuario, vt statim sibi lucrum reddat ex illo mutuo?
Possit Lessio fauente, affirmo duobus modis. Primò, mutuando,
vg. centum aureos ea lege, vt statim mutuario reddat no-
nem ratione lucri cessantis ex nonaginta vno, quos ipse reti-
net; quod facere potest sine usura; quia nihil est aliud, quam

Molin.

Less.

mutare nonaginta vnum cum lucro, & alios nouem sine lucro, qui tamen statim sunt reddendi ad soluendum lucrum proueniens ex nonaginta vno, quos mutuarius mutuos accepit. In quo quidem contractu mutuarius non magis grauatur, quam si solutio lucris differretur. Secundus modus est, si mutuans non accipiat illud lucrum cessans ex illa pecunie summa, sed in oleo, frumento, hordeo, &c. vti Salas & Azor adnotarunt.

Salas.
Azor.

Salas.

108. *Potest ne mutuans aliquid amplius propter verum, & graue periculum amittendi debiti exigere? Posse Salas docet, quia hoc ad indemnitate mutuantis pertinet.*

Less.

109. *Mutuanti notabile aliquod damnum emergit ex mutuo dato, antequam mutuarius sit in mora soluendi: rogitur, ut teneatur mutuarius illud damnum resarcire? Non tenetur, asserit Lessius; qui mutuum cum hoc onere, & pacto non accepit.*

Molin.

110. *An possit mutuans percipere lucrum cessans ex mutuo, si aliunde alio lucro compensatur? Non posse Molina ait. Ego addiderim, nisi aliud lucrum aliunde proueniens aequa mutuantis industriae magis deberetur, quam mutui occasione.*

Regin.

111. *Notit quis pecunie valorem breui minuendum: potest illam alteri mutuare cum pacto, ut eam sibi restituat iuxta presentem illius pecunie valorem? Potest ex Reginaldo; quia tantum do, quantum postea sum accepturus.*

Tolet.
Less.

112. *Licet ne aliquid accipere pro obligatione mutui? Licere Toletus ait, non tamen ratione periculi, cui pecunia mutuo data exponitur. At Lessius etiam huiusmodi periculum ratione licitum esse affirmat.*

Saa.

113. *An mutuare liceat cum pacto remutuandi? Affirmat cum Saa non licere; obligare enim ad aliquid pecunia mutuumabile ob mutuum, vsura est.*

Less.

114. *Licitum ne mutuare alteri cum pacto, ut priuati iniuriam tibi condonet? Licitum docet Lessius. Item si exigat istam aliquam satisfactionem pro fama, vel honore violato, potes eum obligare ratione mutui, ut condonet, pacto quidem amicitiae, iustitiae minime.*

Molin.

115. *Quod tibi à mutuuario gratis donatur, etiam cum potest, potes ne retinere? Possum; solum enim prohibetur, quod ratione mutui velut debitum datur. Molina sic.*

Molin.

116. *Quonam modo mutuum frumentum, aut pecunia reddenda? Ex Molina respondeo frumentum mutuum eodem mensura reddendum, aut pretium, quo valet tempore*

quo redditur: etiam si reddatur in loco, ubi plus valet, aut tempore, quo plus valet, repetatur; quando scilicet non est tempus redditioni præfixum. At mutuata pecuniæ debet recipi valor temporis, quo data est, scilicet tot nummi, quot v.g. aureus acceptus tunc valebat. Porro pactum de recipiendo pro frumento quantum valet tempore, quo datur, est non mutui, sed venditionis. *Lessius* addit, si certum est, vel probabilius rem tempore traditionis valituram pluris quam modo valeat, non posse te obligare ad parem mensuram reddendam, sed ad eam tantum, quæ adæquat pretium rei à te tradita. Posse autem te id facere, si dubium sit vtrum valebit pluris, an minoris; quin & maiorem te posse exigere, si certum, vel saltem probabilius valiturum minoris. Plura mox Vberior Exam. sequenti sermo redibit.



EXAMEN V.

De Iustitia & iure, circa eandem materiam de contractibus Gratuitis, nempe de Usura ex mutui contractu.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex Usura?

1. *Vidnam est Usura?* Lucrum proveniens ex mutuo, vi mutui. Ob amicitiam enim vel gratitudinem mutuo dare non est usura, nec etiam ob turpem amicitiam, nec vt solvatur debitum. Porro hæreticus esset dicere Usuram non esse peccatum. Iure naturali prohibita quidem est: in veteri lege permessa in recompensationem bonorum, quæ iuste poterant Iudæi à Gentibus vicinis auferre: in nouo Testamento iure diuino prohibetur: & quamuis iure ciuili permessa fuerit, iure tamen Canonico prohibita est.

2. *Quotuplex usura?* Triplex. Prima distinguitur in Partionalem, & Exactionalem. Secunda in formalem siue apertam, & virtualem, siue palliatam. Tertia in Realem, & Mentalem. Realis quidem est lucrum, quod accipitur ex pacto expresso, vel tacito; Mentalis, lucrum ex mutuo absque expresso, vel tacito pacto.

Bb 2

3: Intenditur